Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Thesaurus armorum spiritualium ultimo mortis conflictui comparatus et collectus - Cod. Donaueschingen 352

Villingen, Benediktinerkloster St. Georgen im Schwarzwald, 1733

Erste Vorrede

urn:nbn:de:bsz:31-93309

Visual Library

Præmonitio.

Nemo mortalium tam malè vivit, quin optet benè mori, et hic desperatissimæ vitæ est, qui bonæ mortis votô caret. Quæramus ex improbo, annè talis mori velit, quem vita reprobat, et condemnat? Offendemus certè neminem, qui tantâ mentis cæcitate laboret, nisi fortè illum, qui aut Deum neget, aut inferos nesciat, aut æterni=

tatem flocci habeat: Quod
ſi verò hoc cuilibet in votis
ſit, cur non etiam ſit in factis?
Si hoc omnes ſperant, cur
tam pauci curant? cur
reÿcitur id in tempus non ſuum,
ſed alienum? Diviniori luce
ductus Sanctiſſimus Pater
noſter Benedictus, ſaniora
ſuadet, qui in Sacra Regulæ
ſuæ Prologo paternè nos ad=
hortatur, dicens: Currite,
dum Lumen vitæ habetis,
ne tenebræ mortis vos com=
prehendant: Et iterum, dum

adhuc vacat, et in hoc corpore
ſumus, et hæc dum per hanc
lucis vitam vacat implere,
currendum et agendum eſt modò
quod in perpetuum nobis expe=
diat: Ecce! quàm paternè
nos ad ingem ſalutis noſtræ,
et inculpandæ vitæ, ac mortis
curam habendam ſollicitet!
Quæ verba proculdubiò ex
Vaſe Electionis Divo Paulo
Apoſtolo hauſit, qui non diſparî
voce 2. Corinth. 6. verſ. 2.
ad promptam maligni tepo=
ris rejectionem, et bonam

temporis uſuram nos invitat:
Ecce! nunc tempus accepta=
bile, ecce nunc dies Salutis:
Nunc tempus eſt, ut iniqui=
tates noſtras, et perperam
facta expiemus, pravas
conſuetudines, vitiorum noſtro=
rum nutriculas exuamus,
Naturæ noſtræ depravatæ
pruriginem coërceamus,
Paſsionum impetus cohibeamus.
Quâ ratione enim cohibebi=
mus tunc, cum Natura
erit infirmior, impetus vehe=
mentior. Gratia, quia

neglecta, minor? Quomodo
franabimus infirmi, dum
vincimur ſani? Quomodo
oppugnabimus hoſtes, dum
iam ſuccumbimus antè
inſidias? Quomodo coro=
nabimur, dum prælia nulla
committimus? Quomodo
poterimus benè mori, ſi
tunc primùm benè vivere
volumus, dum vivere deſi=
nendum? Nunc ergò dum
tempus eſt noſtrum, bonum
operemur, nunc induenda ſunt
arma lucis, indumenta
Juſtitiæ, quæ affatim ſub=

miniſtrabit præſens ~~armario~~ theſaurus armorũ
~~ſpir~~ ſpiritualium, contriti Cordis ſuſpiriis
proviſum, precibus iaculatoriis
probè inſtructum, Theologi=
carum, aliarumq; Virtutum
actibus exornatum, preca=
tionibus ac ſupplicationibus,
ad Deum, B^mam Virginem
Mariam, SS. Angelos, et
alios Sanctos, ac Patronos,
Homagiis non minus, Deo in
vita et morte præſtandis
excultum, ſin aliàs eiuſmodi
ſubſidia, profligandis aut
proſternendis hoſtibus, eorúmq;

fraudulentis insidijs propellendis
destinata, neglectum non eamq;
sed ijs frequentiùs utamur.
Tunc enim nobis iuxtà vota
nostra continget, ut nimirum
benè vivamus, et moriamur.